

eum patrat. At quando intervenit fraus & dolus specialis, stupri pœna exten-
 12 tenent Baldus, in d. l. raptoris, Cod. de
 Episcop. & Cler. Angel. ubi prox. num. 55.
 Ludov. Roman. singular. 531. Jacob.
 Menoch. de arbitrar. cas. 410. num. 111.
 Caballus, resol. crim. cas. 98. num. 8. Ne-
 que ex hoc acerbitas iniqua sequeretur
 extendendo arbitrium ultra rationem
 juris, quia primæ pœna à jure civili
 imposita pro eo crimine mortis est, ut
 probat Text. in d. l. §. fin. ff. de extraor-
 din. crim. cum aliis traditis supra d. contr.
 51. num. 2. Non inquam hoc est exten-
 dere pœnam, sed eam ratione postulan-
 te restituere ad pristinum statum, vel
 eam augendo ex circumstantiis aggra-
 vantibus, iuxta regulam Text. in l. aut
 facta, ff. de pœn. Quod specialiter fieri
 posse docent plures relati à Berlich. d.
 conclus. 38. num. 100. cum seqq.
 Sed his non obstantibus pœna extra-
 13 ordinaria puniendum esse hunc reum
 Aula decrevit. Quia, ut plenè probavi-
 mus d. contr. 51. ex n. 4. communi Do-
 ctorum calculo, & praxi universali ro-
 tius orbis Christiani, receptum est quod
 pœna stupri sit arbitraria, ob quod an-
 tiquata prorsus reperitur dispositio d. l.
 1. §. final. ff. de extraordin. crimin. Et licet
 fateamur pœnam stupri violenti esse
 ultimi supplicii, conclusio ista procedit
 tantum, quando vis illata fuit corpori, ut
 tenuerunt Bart. in d. l. 1. §. fin. ff. de extr.
 crim. Alex. consil. 229. n. 11. lib. 2. & con-
 sil. 165. num. 2. vers. Bartolus respondet,
 l. 7. Bostius, de coit. damnat. n. 66. Baiard.
 sibi contrarius ad Clar. in §. adulterium,
 n. 71. Farin. dicit. q. 141. n. 105. Tuschus,
 litt. S. concl. 710. n. 3. Berlich. d. concl. 41.
 n. 38. Petr. Caball. d. cas. 98. ex n. 9. Ant.
 Mat. d. n. 3. in princ. Carpz. d. q. 75. n. 11.
 Et ratio est manifesta, nam à communi-
 ter contingentibus, puellæ omnes quæ
 hanc labem deplorant, dolis, persuasio-
 14 nibus, atque vanis promissis decipiun-
 tur, ut quotidiana experientia demon-
 strat, & sic omnes stupra committen-
 tes capitaliter essent plectendi, quod
 absurdum esset. Et licet negari non pos-
 sit, quod hic reus dolosè, & fraudulenter
 15 ultra modum se gesserat: hoc sufficiens
 visum fuit ad pœnam augendam, citra
 mortem tamen, iuxta mensuram facino-
 ris, ut in simili tradit Vincentius de
 Franquif. decis. 333. num. 5. quem sequen-
 16 ter fuit Petrus Caball. ubi prox. Nam in
 specie illius decisionis, barbitonsor qui

uxorem habebat, puellam virginem ce-
 cepit, sub colore matrimonii, & pœnam
 capitis Senatus revocavit, eo ad remi-
 gium perpetuum condemnato. Quare in
 nostra specie dum puella decepta appa-
 rebat sub eadem promissione, postquam
 reus cum alia contraxit, impeditus re-
 mansit adimplendi promissa: & simili
 pœna esset puniendus, nisi minor, vi-
 17 ginti quinque annorum reperitur, cui
 pœna semper mitigari debet, dum enor-
 missima crimina non commiserit, ut plu-
 ribus probavimus, contr. 8. n. 5. cum seqq.
 Neque his obstantibus argumenta in
 18 contrarium adducta. Non primum, nam ut
 dixi n. 13. stuprum violentum cui de-
 betur pœna ultimi supplicii, solum est
 illud, in quo vis illata est corpori, de
 quo in nostra specie nihil apparebat. Et
 dispositio Text. in d. l. 1. §. persuadere,
 ff. de ser. corrupt. non potest procedere in
 puella stuprum passa, quia edictum de
 seruo corrupto latum fuit in eos qui ser-
 vos alienos deteriores, quoad mores
 faciunt, non autem quoad corpus, quia
 hoc pertinet ad legem Aquilianam, ut ex
 19 l. 2. & aliis seqq. eodem tit. resultat: cor-
 ruptio namque morum non fit nisi ani-
 mus corrumpatur, quod persuasionibus
 efficitur. Ob quod non est mirum quod
 Ulpianus in hoc Textu doceat, persua-
 dere esse plus quam cogere; nam ut no-
 rat Gothofredus, ibid. servus qui vi co-
 gitur, innocens animo remanet; qui ad
 malum suadetur, animo corrumpitur, &
 deterior moribus remanet. At in iudicio
 criminali stupri, non de animo, sed de
 corpore puellæ corrupto tractatur, & sic
 requiritur vis illata corpori, ut violentum
 dicatur. Et Text. in l. 1. tit. 19. p. 7.
 loquens de suadentibus, & corruppen-
 20 tibus virgines Deo consecratas, non po-
 test extendi, tanquam dispositio pœ-
 nalis, ad alias virgines, quarum corruptio
 non est ita enormis.
 Neque obstat secundum; nam regula
 de luendo in corpore, qui non habet in
 ære, expressè loquitur de pœna extraor-
 dinaria, ut docet Ulpian. in l. 1. ad fin. ff.
 de pœn. ubi comm. Doct. quorum aliquos
 retuli, d. con. 51. n. 31. Quia nulla propor-
 tio reperiri potest inter pecuniam, in
 cujus locum subrogatur pœna corporalis,
 & vitam hominis, ut scitè dixit Ant.
 Mat. de crim. ad l. 7. ff. tit. 1. c. 2. n. 6. & ra-
 tionem concludentem reddit; nempe li-
 berum corpus nullam recipere æstimatio-
 nem, Text. in l. 1. ff. si quad. paup. sec. is. die.
 Nec

CONTROVERSIA LVIII.

De prohibito concubinato, & pœna legi-
 bus nostris imposita.

SUMMARIUM.

- 1 Concubinitus de jure civili Romanorum toleratus, non permisus esse solebat.
- 2 Concubinitus eo jure solum celibi toleratus.
- 3 Pellicibus conjugatorum ara Junonis prohibita fuit lege Numæ.
- 4 Concubina tolerabantur inter Hebræos.
- 5 Concubina Hebræorum, aliquid de ratione uxoris libabant.
- 6 Concubinarum, & uxorum differentia inter Hebræos.
- 7 Concubina Hebræis tolerata, non utilitè vacarent, sed procreationi liberorum.
- 8 Uxores plurimas habere Hebræos permisum fuit, & quare.
- 9 Sed ista dispensationes, cessante lege scripta, cessarunt.
- 10 Singulas uno tempore habere uxores fidelibus in lege gratia permisum.
- 11 Ratio disparitatis, temporum distinctio.
- 12 Secunde nuptiæ vivente prima uxore, nunquam permittenda.
- 13 Concubinitum à jure Canonico nunquam toleratum, neque permisum.
- 14 Text. in cap. solet. 32. quest. 2. expenditur contra interpretationem Benediccti Carpzovii.
- 15 Concubinae pariter tolerata tempore Imperatorum.
- 16 Text. in leg. si qua illustris 5. C. de sen. conf. Orphi. expenditur.
- 17 Concubina, animi sola mutatione fiebat uxor.
- 18 Filii, ex concubinato suscepti, illegitimi sunt.
- 19 Filii illegitimi incapaces capiendi ex testamento patris.
- 20 Et matris exstantibus legitimis.
- 21 Filii legitimi per subsequens, capiunt ex bonis utriusque parentis.
- 22 Dispositio d. l. si qua illustris, comprehensa in §. sui autem, vers. nec non inst. de heredit. quæ ab intest.
- 23 Filii habitii ex concubinato, neque patri succedunt absolute, neque matris, si illustris sit.
- 24 Concubinitus tolerantia abrogata fuit jure novissimo.

21 Nec tertium argumentum relevat, quia fraus facta iudici, vel iudicio non est sufficiens ad exacerbandam pœnam usque ad mortem; quia in effectu est qualitas extrinseca superveniens delicto jam perfectò, quæ ejus naturam mutare non poterat: seu verius novum, & separatim crimen diversa pœna puniendum, quæ nunquam mortis esse potuit.

22 Nam si ex injuria facta iudici pensandum est, quanti ea res est nomine pœnæ debebatur, Text. in leg. unie. ad fin. ff. si quis jus dic. non obtem. si ex dolo & fraude omnino separata ab stupro, quod jam consummatum erat, pœna arbitraria extra ordinem debuit puniri, Text. in leg. 1. & 3. ff. de crimin. stellionat. de jure nostro Text. in leg. 7. & 12. tit. 16. part. 7. docent Corneus, consil. 179. numero 6. lib. 4. Anton. Gomez, var. lib. 3. cap. 7. ad fin. D. Greg. Lopez, in d. leg. 12. gloss. 1. & 2. Tiber. Decian. tract. crim. lib. 1. cap. 4. num. 8. & 9. Farinac. in pract. quest. 19. numero 34. & quest. 87. num. 67. Imò acerbitas pœnæ ex fraude & damno puellæ subsequuto, imminabat iudici reum fidejussoribus relaxanti, ex indubitata decisione Textus, in leg. 10. tit. 29. part. 7. ubi Greg. Lopez. Neque novum esset, si Patri hæc machinanti, imputaretur, exemplo desumpto à prudentissimo Rege ac Domino nostro Philippo II. qui non solum Federicum Toletanum severissimè tractavit, verum Patrem Duces Albanum de republica bene meritum ob præsumptam cooperationem, in Arcæ captivum diù retinuit, non obstantibus intercessionibus Pontificis, ac cæterorum Principum totius Europæ, ut post alios novissimè refert P. Ossorio, de gestis Ferdinandi Toletani, lib. 8. in princ.

25 Ex his igitur Aula reum condemnavit ad dotandam competenter puellam, & ad relegationem in Arcem Africa per decennium. Neque Pater à pœna exemptus fuit, nam ut filio indultum consequi posset, dotem puellæ numeravit, filiumque immatrem luxit, Deo demonstrante severitate pœnæ peccati malitiam: ita pronuntiatum, die 3. Decembris anni 1665.

- 25 Concubinitus omnino prohibitus, per Tridentinum.
- 26 Concubinitus hodie omni jure prohibitus.
- 27 Concubinitus pœna jure Hispano statuta.
- 28 Sed omnino arbitraria remanet, ad mensuram scandali.
- 29 Præceptum de non reiterando, quando & quomodo fiat.
- 30 Remedium efficax ad concubinarios compescendos economica potestas plusquam judiciaria ministrat.

CONCUBINITVS de jure civili Romanorum non permittitur sed toleratus fuerat, juxta Text. in l. 3. ff. de concubin. Docent Langleus semestr. lib. 3. cap. 8. ad fin. Joseph. Ludovif. decis. Perus. 18. num. 30. & subtilissimus Anton. Faber. in C. lib. 4. tit. 24. diffin. 36. num. 5. in not. Quod & dixerat noster Alphonsus in proem. tit. 14. part. 4. ubi Gregor Lopez, gloss. 4. ac demum Didacus Perez, in l. 23. tit. 3. lib. 1. Ordin. in princ. gloss. Nec aliud docuit Petrus Gregor. lib. 10. synagmat. cap. 1. num. 4. dum extra pœnam fuisse asserit. Quæ adhuc in celibe limitanda veniunt, ut majus malum pelleretur, aliter respectu conjugatorum, per Text. in l. fin. ad fin. Cod. com. de manumif. ibi: hominibus etenim uxores habentibus concubinas, vel libertas, vel ancillas habere, nec antiqua jura, nec nostra concedunt & l. unic. C. de concub. quorum pellicibus ex antiquissima lege Numæ Pompilii ara Junonis prohibebatur, cujus verba ad litteram tradit Balduinus, ad leg. Romul. in l. 15. n. 8. & de ea mentionem fecit idem Petrus Gregor. dict. cap. 1. num. 3. Qui n. 8. de tolerantia habendi concubinas & uxores simul inter Hebræos aliqua tradit. Sed respectu hujus gentis tenendum est, quod licet uxores in proprio, & rigoroso significato sumptæ concubinae non dicerentur; tamen concubinae de ratione uxoris aliquid participabant, & sic uxores quodammodo dicebantur, ut probatur ex Genes. c. 16. vers. 3. quo dum de sterilitate Saræ agitur hæc verba habentur, ibi: tulit Agar Ægyptiam ancillam suam post annos decem, quam habitare ceperant in terra Chanaan, & dedit eam viro suo uxorem, &c. 25. vers. 1. ibi: Abraham vero duxit uxorem nomine Ceturam. Et nihilominus Agar, &

Cetura concubinae fuerunt, ut habetur in eodem Text. ibi: Deditque Abraham cuncta quæ possederat Isaac, filiis autem concubinarum largitus est munera. Sic pariter Cetura concubina Abraham dicitur: Paralipom. c. 1. vers. 32. Quam diversitatem loquendi explicat S. Aug. lib. 1. question. sup. Genes. quæst. 90. dicens: Non facile dignoscitur quas concubinas appellat Scripturas, quas uxores; quandoquidem & Agar dicta est uxor, quæ postea dicitur concubina; & Cetura, & ancilla quas dederunt Rachel, & Lia viro suo. Nisi forte omnis concubina uxor, non autem omnis uxor concubina more loquendi Scripturarum appelleretur. Id est ut Sara, & Rebecca, & Lia, & Rachel concubinae dici non possunt. Agar vero, & Cetura, & Bala & Zelpha, & uxores & concubinae. Clarius ad rem S. Thomas, in suppl. quæst. 65. art. 5. in corp. ibi: Unde ubicunque legitur in veteri testamento aliquos habuisse concubinas, quos necesse sit à peccato mortali excusare, oportet eas esse matrimonio junctas, & tamen concubinas dici: quia aliquid habebant de ratione uxoris, & aliquid de ratione concubinae. Quæ verba doctissimè explicat Dominus Covarruv. 1. parte de spons. cap. 4. num. 9.

Quæ quidem tolerantia five dispensatio, in Lege Scripta vigeat, non ut libidini vacarent, sed procreationi liberorum incumbere: sic docet D. August. lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 12. ibi: Sufficiens prolis causa erat uxorum plurium simul uni viro habendarum: inculpabilis consuetudo, & ideo unam feminam maritos habere plurimos honestum non erat: non enim mulier eo est fecundior, sed meretricia potius turpitudine est, vel quæsum, vel liberos vulgò quære in hujusmodi moribus, quicquid illorum temporum sancti non libidine faciebant, quamvis ea facerent quæ hoc tempore nisi per libidinem fieri non possunt, non culpata Scriptura. Latè D. Thom. dict. q. 65. art. 2. in corp. rationem hujus permissionis proponit, & S. Ambrosi. relatus, in cap. dixit Sara 32. quæst. 4. & ante eos Tertull. lib. ad uxor. his verbis: Sanè apud veteres nostros ipsosque Patriarchas non modo nubere, sed etiam plurifariam matrimonii uti fas fuit, erant & concubinae. Sed licet figura tunc in synagoga, & Ecclesiam cesserit, ut tamen simpliciter interpretemur necessarium fuit instituire, quæ postea aut amputari, aut temperari mererentur. Melius S. Augustinus, lib. de bon. conjug. c. 15. ibi: Antiquis justis,

justis, non fuit peccatum quod plurimis feminis utebantur, nec contra naturam hoc faciebant, cum non lasciviendi causi, sed gignendi hoc facerent; nec contra morem, quia eo tempore ea fiebant; nec contra præceptum, quia nulla lege prohibitum intellexit Abraham, & Jacob.

9 Sed tolerantia ista, cessante lege scripta, cessavit, ut docet S. Hieronymus, in Epistol. ad Oceanum ibi: Hoc quod dicit unius uxoris virum, potest & aliter differi. Ex Judæis erat Apostolus. Prima Christi Ecclesia de Israel reliquiis congregabatur; sciebat lege concessum ut exemplo Patriarcharum, ac Moysi familiari populo noverat in multis uxoribus liberos spargere. Ipsi quoque sacerdotibus, hujus licentia patebat arbitrium. Præcepit ergo ne eandem licentiam Ecclesia sibi vindicaret sacerdotes: ne bina pariter, & trina conjugia sortiantur, sed ut singulas uno tempore uxores habeant.

10 Quod & ad omnes fideles extenditur, ut docet S. Thomas, ubi sup. Quamobrem idem Augustinus, serm. 142. sic concludit: Unde coram Deo, & Angelis confessor atque denunciatio ista mala, & semper prohibuisse, & nunquam ei placita fuisse: quia præcipue temporibus Christianis, concubinas habere nunquam licuit, nunquam licebit. Si rationem disparitatis desideras postula ab eodem sanctissimo viro, dict. lib. de bon. conjug. cap. 15. ibi: Non est enim nunc propagandi necessitas, quæ tunc fuit, quando & parientibus conjugibus, alias propter copiosorem posteritatem superducere licebat, quod nunc certe non licet. Non tantum afferre opportunitatis ad aliquid justè agendum, sive non agendum temporum secreta distinctio, ut nunc melius faciat, qui nec unam duxerit, nisi se contineri non possit. Quæ omnia confirmantur per dispositiones canonicas statim explicandas.

12 Ex quibus concluditur manifestissime error Anton. Matthæi qui in tract. de crimin. lib. 48. ff. tit. 3. cap. 7. num. 8. impudè dixit, tolerandas esse absque pœna secundas nuptias, quæ ex necessitate magis, quam ex libidine celebratae fuerint. Nam in Ecclesia Catholica nunquam toleratum fuit, neque tolerabitur. Nec casus necessitatis excogitari potest per quod, ea quæ impossibilia sunt, possibilia fiant. Promissio namque nuptiarum facta per captivum uxorem habentem, Agarenæ, quæ ei tribuit libertatem, nullius momenti fuit, non fecus ac si promississet arborem auream, vel montem argenteum. Ex eisdem etiam inferitur rel. D. D. Laur. Mathan, de Re Crim. Pa. 15. l.

ponso tribuenda Benedicto Carpovio, 13 qui in pract. crimin. part. 2. quæst. 70. numero 40. dixit, quod Textus in cap. solet 32. quæst. 2. concurrentibus quatuor qualitatibus, concubinitum permittit; nam hæreticalis propositio est; Clem. ad nostrum, §. 7. de hæret. ubi Barboza, in collect. nam. 4. Trident. in cap. 8. sess. 24. de reform. & cap. 14. sess. 25. cap. auditum 4. distin. c. concubina 32. quæst. 2. c. nemo 32. quæst. 4. Imò ille Textus concurrentibus illis qualitatibus, nuptias celebratas censeri affirmat, ut ipsius Textus verba demonstrant, ibi: Ceterum si vel utrumque, vel unum horum desit, non invenio quemadmodum has nuptias appellare possimus. Non enim de concubinitu, sed de nuptiis, non de consuetudine illicita toleranda, sed de matrimonio contracto, sine præcipuo omisso, procreanda proli, & explendæ libidinis fine contempto, quia tunc etiam si finis præcipuus deficiat, nuptias adesse dignoscitur.

Sed ut pergamus, eadem tolerantia 15 juris Digestorum, tempore Imperatorum invaluit, Text. in l. 1. Cod. de concubin. licet Dionys. Gothofredus, in d. l. 3. teneat expressè permittum fuisse concubinitum, quod infert ex Text. in l. si qua illustri Cod. ad Senat. Conf. Orphi. ibi: Si autem concubina libera conditionis constituta filium, vel filiam ex licita consuetudine ab homine libero habita procreaverit. Quæ verba Justiniani intelligenda crediderim de consuetudine extra pœnam habita, in quo sensu licita dici potest lato modo. Vel melius, quod Imperator licitam consuetudinem appellat eam, quæ initium sumendo à concubinitu in matrimonio transfunditur, cum ea quæ concubina esse coepit, uxor postea habitata fuit, quod fieri posse docet Papinianus, in l. donationes, ff. de donat. ut tradit 17 Barnabas Brissonius, in libello de rit. nuptiar. paulò post princip. pag. mihi 42. Quod suadet decisio ipsius Textus, dum liberos susceptos ex concubinitu admittit simul cum legitimis ad bona materna; filii namque ex concubinitu suscepti, illegitimi sunt, quia legitimi tantum dicuntur, qui ex legitimis nuptiis procreantur, l. si 18 lium 6. ff. de his qui sunt sui, vel alieni jur. ubi Doctores, cum vulgat. signanter Brisson. ubi prox. sed illegitimi nihil capiebant ex bonis paternis, Text. in leg. humanitatis, Cod. de naturalib. liber. neque ex maternis ante Orphitanum, & post eum si mater illustris esset, d. l. si qua illustris, Oo Fran.

fran. Marcus, tom. 2. decis. 472. numero 9. licet si infimæ conditionis mater esset, capere poterant, Text. in l. 1. §. 2. ff. de Tyrul. & Orphi. Quod intelligendum, legitimis non obstantibus, quia si extent illegitimi nil capere poterant, nisi concubinatus ad matrimonium transitum fecisset. Quæ interpretatio licet nova videatur, verbis dict. leg. si qua illustris nititur; quia Imperator supponit aptitudinem contrahendi, dum liberam conditionem in utroque requirit; & cum ex sola animi mutatione contraxisse videantur, aptitudo capiendi referenda est ad filios, illegitimos, vel naturales, legitimis tamen per subsequens matrimonium, ut explicat idem Justinianus, in §. sui autem, verif. nec non, instit. de heredit. qua ab intest. defer. ibi: Necnon eos quos nostræ complexæ sunt Constitutiones, per quas iustimus, ut si quis mulierem in suo contubernio copulaverit, non ab initio affectione maritali, eam tamen cum qua poterat habere conjugium, & ex ea liberos sustulerit, postea vero affectione procedente etiam nuptialia instrumenta cum ea fecerit, & filios vel filias habuerit; non solum eos liberos qui post dotem editi sunt, iustos & in potestate patris esse, sed etiam anteriores, quæ & iis qui postea nati sunt occasionem legitimi nominis præstiterunt. Constitutiones, quas in hoc Textu explicat Justinianus, communiter Doctores interpretantur de contentis, in leg. cum quis 10. l. num. 11. C. de natur. liber. sed Text. in d. l. si qua illustris, eiusdem Justiniani est eodem die lata, eisdem Consulibus, in eodem loco, & eidem directa & sic non est major ratio ob quam illæ duæ leges, in dict. §. comprehendantur quam d. l. si qua, quæ de eadem fermè materia tractat, & sub eodem die, Consule & loco lata fuit. Sed dato quod d. l. si qua intelligenda sit prout vulgariter interpretatur, negari non potest, quod similes filii ad bona paterna, non admittuntur sicut legitimi, quod est signum evidens illegitimitatis consuetudinis, & hoc sufficit ad intentum, nempe ut concludamus à jure non expressa lege permiffum concubinatum, sed tantum toleratum, & extra pœnam. Et sic intelligenda sunt dicta plurimorum Interpretum dicentium licitum de jure civili esse concubinatum, quorum plures adducunt Clarus, in §. fornicatio, n. 6. ubi Baiard. num. 7. Farin. quest. 158. num. 30. Avendaño de exeq. mandat. p. 2. cap. 26. num. 3. Guazzin. defens. 1. cap. 11. num. 9. Carpzov. dict. part. 2. quest. 70. num. 39. Martinis resol. practicabil. lib. 1. cap. 254. num. 8.

Hæc tolerantia abrogata fuit per Novell. const. Leon. 91. Novella 12. cap. 4. Novell. 18. cap. 5. Novella 117. c. 2. & 3. & in usibus feudor. cap. 1. de filiis suscept. Sed quia certa pœna lata non fuit, variè Doctores se habent in ea assignanda. Et omissis dispositionibus Canonicis; & Tridentini, d. cap. 8. sess. 24. & cap. 14. sess. 25. de reformat. tanquam pertinentibus ad jurisdictionem Ecclesiasticam de qua non tractamus, omni jure prohibitum concubinatum sequitur ex dictis per Grillandum, de pœn. omnisar. coi. q. 25. 9. num. 5. Hostiensem, in summa & in c. lator. qui fil. sint legit. Anton. de Burr. in cap. cum sit generale de for. comper. Boët. decis. 72. per tot. Rebuff. in concordat. Rub. de publ. concub. ex princ. Jul. Clar. in d. §. fornicatio, n. 6. fed clarius Baiard. ibidem num. 7. Menoch. de arbit. caf. 289. n. 20. Petr. Gregor. dict. lib. 10. cap. 1. num. 15. Langl. semestr. d. lib. 8. cap. 8. ad fin. Berlich. practic. conclus. part. 5. conclus. 39. Carpzov. d. q. 70. ex num. 42. Farinac. d. q. 138. num. 31. Tiber. Decian. lib. 6. tract. crim. cap. 21. per tot. Juliv. Chart. decis. 77. num. 23. Grassim. de effect. cleric. in pralud. num. 58. cum seq. Sanfelcium decis. 245. Gabriel. Pereira, decis. Portugal. 12. num. 1. & ego aliqua notavi, tom. 2. de regim. Val. cap. 8. §. 8. num. 197. Cortiada, decis. 89. n. 6. part. 2. qui plures alios adducunt.

De jure nostro Hispano eadem tolerantia infertur ex l. 1. & tot. tit. 14. p. 4. sed ea sublata, pœna concubiniatis inflicta videtur per Text. in l. 1. & tot. tit. 19. lib. 8. recopil. & sic nos trates docent Covarr. in 4. decret. part. 1. cap. 4. num. 8. Aviles in capit. 47. prator. verb. manceba. num. 1. Dominus Gregor. Lopez, in dict. proem. tit. 14. part. 4. gloss. 4. Menchaca, de success. creat. §. 22. num. 49. Dueñas, in regul. 101. limit. 2. & 9. Ant. Gomez, in l. 80. Taur. n. 20. & 22. Didacus Perez, in leg. 3. tit. 15. lib. 8. Ordin. & in l. 23. & 24. tit. 3. lib. 1. Avendaño de exeq. man. dict. parte 2. cap. 26. n. 4. Bernard. Diaz, in pract. cap. 78. ex num. 1. & ibi Salcedo, Villadiego, in Rub. tit. 1. lib. 3. For. in d. num. 64. & 83. Bobadilla, in polit. lib. 2. cap. 17. ex num. 53. Azevedo, in l. 1. d. tit. 19. lib. 8. recopil. Cevallos, com. contr. com. q. 164. ex n. 1. & quest. 295. ex numero 2. Joan. Gutierrez, canon. lib. 2. cap. 7.



CONTROVERSIA LIX.

De meretricia turpitudine & illius pœna.

SUMMARIUM.

- 1 Meretricia turpitudine jure divino reprobat.
- 2 Meretricia turpitudine jure Canonico damnatur.
- 3 Meretrices de jure civili non permittuntur absque pœna.
- 4 Simplex fornicatio, an jure civili prohibita sit.
- 5 Jura noviora pœnam determinatam, in meretrices non dicunt.
- 6 Scena à prostibulo distinguebatur.
- 7 Scenica mulieres, luxuriosè vivebant, & nunc vivunt.
- 8 Text. in l. fin. Cod. comm. de manum. expenditur.
- 9 Meretricia turpitudine pœnali dispositione prohibita de jure civili.
- 10 Text. in l. foedissimam C. ad leg. Jul. de adulter. expenditur.
- 11 De jure Digestorum habetur specialis mentio hujusmodi pœnalis dispositionis.
- 12 Roma erat virtutum omnium mater.
- 13 Meretrices inter viles annumerabantur, & nexibus legum solute erant.
- 14 Meretrices turpes persona habita sunt, & contra eas honorum possessio dabatur, si heredes instituerentur.
- 15 Meretrices infamiam notantur. Text. in leg. Imperator, ff. de his qui notant. infam. expenditur, ibidem.
- 16 Meretricibus bonis interdicitur, & Curator datur.
- 17 Meretricis foribus effractis licet bona ab alio surripiantur, effractor non tenetur actione furti.
- 18 Meretricem servam surripiens, non tenetur actione furti.
- 19 Meretrices habitu speciali incedere jubebantur.
- 20 Meretricis, & matrona habitus realiter distinctus.
- 21 Meretrici, vel earum filiabus donata revocabantur etiam per tormentum.